

PRAESES
HINZIO SVO

S. D. P.

Si quis unquam in defendenda dissertatione academica, TV certe non indigni praeside seu propugnatore. Modestae TVAE petitioni satisfeci magis eo fine, ut testis sim praeclarae TVAE eruditionis, quam ut TE ab dissentientium telis defendam. Testis iam fui solidae TVAE doctrinae, quum ordo noster TVAM in medicum scientiam tentaret. Prompto latini sermonis flumine ad cunctas quaestiones, quae TIBI ab Honoratissimis meis Collegis et a me propositae sunt, eximie et ita respondisti, ut medicorum ordo TIBI honorem decerneret, quem nulli candidatorum tribuit ab eo tempore, ex quo membrum illius fui. Et meo quidem iure grauiissimas de TE laetandi prae me habeo rationes, eoque maiorem ex eruditione TVA percipio voluptatem, quo certius constat, TE, ex quo in Academia Argentoratensi et in primis institutione Celeberr. LOBSTEINI, Anatomici nostrae aetatis facile principis bene praeparatus ad hanc litterarum uniuersitatem accessisti, nullas alias scholas, quam meas frequentasse. Nec mihi defuerunt TVI erga me studii egregia documenta. Quum enim Perillustis et Generosissimus POLENIVS, quem propter eximiam virtutis indolem summa obseruantia colo, grauiissimo pedis ulcere et febre hectica laboraret, atque ego permultis morborum depellendorum negotiis, continuisque laboribus academicis dissentissimus impediret, quo minus quotidie Virum Generosissimum inuisere possem, TV tam diu Aegro adsedisti, donec ad Eum redirem, et quum Nobilissimus BREYMANNVS gangraena pedis adfectus viginti duas hebdomades in aedibus meis commoraretur, TV eo tempore, quo ad remotiores aegrotos iter feceram, vulnera fere mortifera deligasti, et sic uterque pristinae valetudini restitutus est. Mihi quoque sectiones chirurgicas facienti manus commodaesti. Non potest ergo fieri, ut exoptatam, quam nactus iam mihi esse videor, praetermittam occasionem, gratum meum animum TIBI valam significandi. Ex animo TIBI gratulor summos in Medicina honores. Gratulor Ciuitati, in qua medicam et chirurgicam artem exercebis, de medico et chirurgo dexterrimo. Faxit supremum Nomen, ut prospere ac feliciter TIBI cedant omnia.

